

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.



HEXAMETRON
DE GLORIOSA DO-
MINI ET SALVATORIS
NOSTRI IESV CHRISTI
resurrectione:

In splendidâ Generosorum
Baronum, Reverendissimorum & Clarissi-
morum Professorum, Nobilisque & Eruditæ
Studiosæ juventutis Coronâ: in inclytâ
VVitebergensi Academia II. Fe-
riâ Paschali reci-
tatum

Iohanne Georgio Bechtio
Hailbronnensi,

ANNO 1677.

Impressum

Typis Cratonianis per Iohan. Gorman.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, CONSULTISSIMISQ;
VIRIS:

Dn. MARTINO AICHMANNO I. V. D.
Serenissimo Electori Saxonico, Domino meo
clementissimo, à consilijs intimis.

Dn. IOHANNI GEORGIO HVNGERLINO
I. V. D. Consiliario VVirtembergico & Synedrij
Ecclesiastici Stutgardiani Dire-
ctori.

Dn. SEBASTIANO HORNMOLT, I. V. D.
Poetæ Nobili & Coronato, itidem Consiliario
VVirtemberg.

*Dominis Mæcenatibus ac propinquis meis
omni observantia cultu dignissimis.*

Sacrum hoc carmen

Dico Sacro

Iohannes Georgius Bechtius
Hailbronnensis.

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS VVOLFGANGUS
Franzius S. S. Theologiae Doctor &
Professor publicus S. P.

STVDIVM Poetices utrum Iustitiae & Iuris
candidato, aut etiam magistro, tractandum
sit, interdum disputari nec vos ignoratis. Sed, ut
ego quidem opinor, ista disputari solent aut ab
imperitis Poeticae; aut certe dicis tantum causam, non sermo.
Si enim ex animi sententia profiterentur, studium Poeticae
Iurisconsulto inutile esse; non video, qui Vineta sua ipsi
non caederent, & praestantissimos quosque Iuris magistros ab
omni auro stultitiae aut certe *de Regibus* culpa liberarent,
quos constat hoc genus studiorum eo affectu coluisse, ut
sine eo sublimis illa Iuris disciplina parum recte tractari
posse existimata fuerit. De quo quidem argumento (ut a-
lios taceam, qui vobis domi noti sunt) non ita pridem Iuris-
consultus in hac Misnia nobilis ex professo disputavit: &
rationibus probare satagit, studium Poetices, si ulli alij, Iuris
candidato necessarium. Quod iudicium inter caeteros se-
cutus Academiae nostrae alumnus IOHANNES GEOR-
GIVS BECHTIVS Hailbronnensis seriae illi & severae
Themidi humaniores Poetarum Musas Gratiasque junxit, &
suavissima mixtura quasi temperavit. Cumque Pietatem
suam Deo vobisque per hanc feriarum solennitatem proba-
re vellet, carmen de gloriosa CHRISTI Servatoris resur-
rectione composuit; quod nostro indultu hodie hora SE-
CVNDA publice recitabit. Vos, qui cives Academici, ad-
este quaeso; & hanc operam non solum tempori & pietati,
sed & bonis artibus & Musae, quae (veteri verbo) pietaticul-
trix est, liberaliter date: audituri carmen non erudi tum
modo, sed & pietate animatum: quae laus Poeticae prima-
ria. P. P. die VI. Aprilis, anno Christiano M. DC. VII.

Docuere sacri nos per sua pulpita mystæ
Hactenus, ut superi proles æterna Parentis
In sandas hominum mortali tegmine culpas
Eluerit, fœdas effuso sanguine sordes
Terrigenum abluerit, quas sannas, vulnera,
probra,

Quos tulerit colaphos, quæ crimina morte piarit
Agnus hic innocuus. Sed nunc victricia IHESV
Christe, trophæa canunt, quæ victâ morte tulisti
Lumina perpetuæ nunquam cessantia vitæ
Accipiens in carne, crucis quam stirpe sacratam
Hebrææ gentis scelerata in sania fixit.
Hæc tua dum tenui pede nunc epinikia tento,
Gnatæ Dei vivi, stirps virginis, ô Bone Ihesu,
Te voco sollicitè, tua supplex numina posco,
Tute auram adspira nostro, pie Christe, labori,
Fraternòq; pijs clemens nutu annue cæptis.

Picridum dux Phœbe vale, ter trina Dearum
Numina Sicelidum, Pallas Tyrrhena, Camæna
Cecropiæ valeant: jam non Heliconia tempe
Perplacet, aut hortos Musarum visere, fictos
Nec Clario hæc opto latices de fonte: prioris
Omnia nunc penitus commenta faceffite secli.

Maxime Salvator, tu carminis hujus Origo
Tu mihi limes eris, Pharus & dux fidior: in te
Hoc cessabit opus cæptis melioribus orsum.

Intereâ ô anima generoso sanguine creta,
Et vos Alhiaci Proceres Patresq; Lycei,
Vos etiam ô juvenes doctâ pietate politi,
Illustrem Christi palmam dum dicere versu
Aggredior, modò summa sequens fastigia rerum,
Consuetum proni mi suppeditate favorem,
Auresq; arrigite & promptas advertite mentes.

Post-

Postquam latrones interpendentis abunde
Cuncta Redemptoris completa est passio nostri:
Turpia quâ dira voluit ludibria mortis
Ob nostrum sufferre scelus, animamq; Parenti
Tradidit, & sancto dimisit corpore sanctam,
Mox iterum sumturus eam, quia mortuus idem,
Idem vivus erat: varium persona dat actum
De geminâ specie cuncto durabilis ævo.

Mors, ubi nunc effert tua se victoria? quisnam,
Mors furibunda, tibi stimulus? sanctissima Christi
Mors, mea vita, tuas, mors funestissima, vires
Deglutijt, Christi mors te, mors seva, voravit:
Unus homo cunctis turpi quia crimine mortem
Attulit, unus homo moriendo restituit rem.

Postea transverso corpus deponere ligno
Miles avet, Christum trabe qui suffixerat, & mox
Cuspide contrectat reprobis stratiota cadaver,
Perfossam violatq; latus: tunc ecce patenti
Vulnere purpureus cruor, undaq; pura fluebat.
Scilicet hoc nobis mysteria pandere signo
Ardua, Christe, cupis: sacra quod baptismatis unda
A nobis dextrè veteris depellat Adami
Crimina, juratis Triadi dare nomina magne;
Quodq; tuo veronos sanguine sacra Synaxis
Pascat, ut hoc dignè potato sanguine nunquam
Afflicta sitiant animæ sine labe fideles.

Hinc, ubi deflexo lampas Phæbea petivit
Hesperium temone fretum, tempusq; subibat,
Quod quis nec tenebras nec possit dicere lucem,
At cum luce tamen dubia confinia noctis:
Extemplo Procerum solus tum justior audet,
Ut condat tumulo, Christi deponere corpus:
Fæta virum dixit tellus Arimathia Ioseph

Nomine, qui memori jam pridem mente notarat
Verba Redemptoris, arreptâq; hauserat aure.
Ergo minus trepido præcelsum corde tribunal
Accedit, blandôq; dehincrogat ore Pilatum,
(Ethnicus Hebræâ qui munus Præsidis orâ
Cæsare Romano sic demandante gerebat)
Huncrogat, ut Christi sibi nil remoratus humana
Cedere membra velit duro demortua ligno.
Dat faciles dictis aures Gentilis, & ipsi
Iudæi corpus Regis permittit humare.
Nec mora, præpoperè venit & Nicodemus, amico
Colloquio nigrâ quem quondam nocte docebat
Ihesus Olympiaci pandens mysteria regni.
Hic Arabis secum lacrymato cortice myrrhæ
Ac Aloes decies librarum dena ferebat,
Ergo pio gemitu sacratum corpus Ihesu
Accipiunt, & ei fragrantia mæssis inungunt
Munera aromatica,volvunt quoq; fulgida circum
Carbasa: Iessei sic solvere iusta solebant.

Hortus odoratis erat exultissimus herbis
Arboribusq; loco, quo Ihesus stirpe pependit,
Proximus: immensam prius hic incidere rupem
Iosephus, necis atq; memor tumbam sibi fecit
Arte parare novam: nemo prius heicce repostus:
Hocce novo saxi Christus componitur antro:
Nec minus exanguis post limen inane sepulcri
Caucasæ claudunt ingentia pondera petra.

O dives virtus! ô summa potentia Ihovæ!
Laudibus æternis ô concelebranda potestas!
Credideras animam supero, pie Christe, Parenti
Iam moribundus: humo cruor undiq; spargitur omni
Tempore salvificus: petra durior abdidit artus
Corporis; ecce suis species humana diremta

Par-

Partibus: haudquaquam tamen ista diremtio nexum
Persona solvisse potest, quo nil magis arctum,
Nil firmumq; magis: rumpantur ut ilia genti
Semper carnali Calvae Rationis alumna:
Quae geminas tibi, Christe, perinterjecta locorum
Intervalla physes damnando dividit ausu.
Iamq; Redemptoris thesaurum corporis amplum
Nobilis occuluit Domino locus ille jacente,
Nobilior surgente tamen: tum turba nefando
Mox Solymæorum Procerum commota furore
Convenit, Evmenidum stimulis agitata, Pilatū
Sic oneratq; celer gentilis judicis aures:
Fac age, quò custos crucifixi funera miles
Adservet: Ihesum forsā ne nocte silenti
Discipuli rapiant, & surrexisse crepantes
Ter redeunte die, cieant in praelia plebem:
Nam nostras etiam nūm clarè personat aures
Vox toties repetita viri, quā nempè solebat
Ad siduè stolido jaētans promittere vulgo:
Se necis è tenebris ad dias luminis auras
Velle simul terno surgente resurgere Phœbo.
Praeses adhac: vobis miles permittitur, inquit,
Pro placito terris corpus servate sepultum.
Hinc fera grex Procerum, vigilum munimine cingi,
Conclus^{us} ^{locum} juvet custodia teneri,
L. ^{ne} signato, monumentum milite servans.
An nondūm, post vincla crucis, post turpia probra,
Post varias plagas, rigidi post plurima ferri
Vulnera, post cadem rabie latrante paratam,
Carnifices implestis opus? pejoribus anne
Vis armare dolis Procerum te vana caterva?
Cur tumulum signas? armato milite cur hunc
Cingis? & advolvīs saxum? non credis Iesum,

Qui

Qui toties animas lethi revocavit ab umbris,
Qui nuper Lasarum fratrem, gnatamq; Iairi,
Et subolem, viduae quae spes erat una Naina,
Adspectare diem fecit, non credis Iesum
Possè suam rursus conjungere corpore mentem?
Tunc tenère Deum poteris, cui cardine mundi
Cuncta patent, celso qui vibrat fulmina caelo,
Qui colit & terras, & seivum Acheronta gubernat.

Intere à felix post tristia sabbatha cepit
Irradiare dies, quem quondam totius orbis
Rex superùm caput esse dedit, quem gloria Christi
Magnifico donans etiam fulgore trophæi
Primatum tribuit: quâ causâ nomen & ipsum
A Domino dominante trahit: quin sabbatha in hincce
Derivata diem celebrare hodieq; jubemur.

Ergo, ubi diffugiunt stella, quarum agmina cogit
Lucifer, & caeli statione novissimus exit:
Ecce venit superas Christus redivivus ad auras,
E tumuloq; potens de victâ morte resurgit.
Non hic ille fores reserat, limenve resolvit,
Exitus ut pateat: non grandia pondera saxi
Amovet, aut signum violat, sed caute manente
Egreditur, clauso pertransit saxa sepulcro.
Scilicet, ut luteâ Titan penetrare fenestram
Luce potest radiisq; vitrum nec frangitur inde:
Non secus ipsa petram Christus sine labe; sine omni
Pertransit noxâ: sic clausam virginis alvum
Transijt; exurgens claustris munita serisq;
Ostia sic penetrat: sic salvus in ambulat undis,
Et vasti premit arva freti, rapidoq; fluente
Circumfusa sacras lambunt fera marmora plantas.
Cede Plato, cede Euclides, procul esto polite
Cum normis, Stagiræ, tuis: non hisce tenetur

Impli

*Implicitus Magnus natura factor Iho^ua:
Omnia quippe regit praesens, excelsaq; & ima,
Non mare, non terra, non pulcra volumina exli
Hoc rectore carent, hoc auspice cuncta geruntur:
Nempè Creatori cedit Natura potenti.*

*Iova, mihi causam memorâ, cur Christus in horto
Salvator niti das lucis remeârît ad oras?*

*Primus homo sed enim peccatiq; Eva repertrix
Demonis impulsu stygij (proh crimen!) in horto
Iamdudum vesitâ decerpserat arbore pomum.
Ex illo ruere in pejus, retroq; fugari
Res sublapsa hominum, diras intendere pœnas.
Cœpit, & aeternam minitari omnia mortem.
Inde, Redemptor ovas lato redivivus in horto,
Ut, Paradisiacus quoniam mortalibus agris
Interitum pœnasq; perennes attulit hortus,
Perpetuam pariat vitam nunc hortus iisdem.
Iustitiamq; poli & dulcissima gaudia, quanta
Non oculo cuiquam pridem percepta, nec aure,
Quantaq; nec tacitâ valeat quis fingere mente.
O sacer Immanuel! ô quàm tu dulcia nobis,
Quandoquidem redivivus ades, solatia praestas!
In te spes nostra & miserè frustrata fuisset
Nostra fides, cuncto nos tempore nostra manerent
Crimina, in aeternam tandem quoq; lumina mortem.
Ardens ira Dei nos claudere cogeret. Absit,
Ut vivum tumulo te surrexisse negemus.*

*Nùm Pharisæa cohors, nescis, Iosephus ut olim
Splendida Messia, quem non cognoscis, imago
Extiterit? geniti prout uno sanguine fratres
Fratrem vendiderint Phariae telluris alumno?
Inter & hic geminos Pharaonis ut in de ministros*

B

Inno.

Innocuus cæco septus sit carcere nescis?
 Te divus poterat Moyses docuisse, bienni
 Illic Iosephum spatio durasse, sed anno
 Terredeunte Phari latâ ditione secundum
 Dicit, atq; a vo fratres tum pascere caro.
 Sic Ihesum hunc, quem tu Galileo nomine, stultus,
 Reddere contemtum populo, Pharisee, parâsti.
 Hunc annon Iudas, sanctâ quem voce vocarat
 Discipulum ac fratrem, terdena numismata sumens
 Argenti, tam grande nefas mercede pudendâ
 Aggreditur, fratrem & Dominum proditq; Magistrum?
 Heus, inimica Deo gens Israelis Apella,
 Nonne cruci, vestro cretum de sanguine, Ihesum
 Fixistis geminos inter mediosq; latrones?
 Viperea & fallax generatio, tunc putabis:
 Deletâ quoniam Messias morte resurgit
 Terredeunte die, placida sub tempore noctis
 Discipulos turpi Christum tetulisse rapinâ?
 Quin omnis potiùs cælo terrisq; potestas
 Huic data, jam tenet hunc supremi dextra parentis:
 Hic porrò Regum Rex vastum jugiter orbem
 Æternis regit imperijs, nutuq; coërcet,
 Nosq; salutiferâ fratres à Patre secundus
 Defectos animis pascit ditissimus escâ.
 Te Iona doceat Ninivite vatis imago:
 Hic quantum immanis vasto sub pectore piscis
 Absumfit tempus: tantum demersa percgit
 Progenies hominis durâ sub rupe sepulcri.
 Iamq; iterum Ihesus nitidas adspexerat auras
 Lumine corporeo: motu tum protinus omnis
 Immenso multum tremuit abdita murmure tellus.
 Ut, velut hæc eadem magno concussa fragore

Messias

Messia diris pridem cruciatibus aequè
Condoluit, celebri pariter nunc leta triumpho
Congauderet ovans & saltu júbila ferret.

Interea cælo lapsus descendit aperto
Angelus, & lapidem tumuli de limine volvit,
Flammeus adspectu, vultu, ceu fulgura, clarus,
Et niveo pulchrè cinctus velamine: binâ
Laetitiam portat specie tremulumq; pavorem.
Armatâ etenim custodibus igne minaci
Venerat, inq; togâ tristatis matribus albâ.
Terror enim sensum fermè discluserat omnem
Militibus, propriam vix tum discrimine vitam
Servantes illâ celeres statione recedunt,
Ac Ihesum rediisse ferunt ad luminis auras.

Ast, ubi Pontifices cæci sat larga dedere
Dona viris, aliud Solymâ testantur in urbe,
Stultaq; vaniloquo mendacia gutture jactant:
Discipulos (ajunt) cum per suspiria miles
Languidulum traheret somnum (tunc forte videre
In somnis poterant homines) tetulisse sepulcro
Corpus, & amoto saxo rupisse sigillum.

Dic age, responde scelerum farrago, sopore
Si pressos clauso furtim productus ab antro
Christus vos latuit: cujus jacet ergo sepulcro
Vestis, & ad cujus rutilo sedet Angelus ore
Candidus exuvias: ablato nempè beati
Corporis ex vestro velocius esse putavit
Iudicio, nexus dissolvere sindonis, atque
Lintcolis vinctum confestim auferre cadaver:
Num mora probroso non est contraria furto?
Nec tamen hæc planè falso fortasse locutus
Ore refers miles; ludais constat ademptum,

Gentiliq; datum turba, quem credat, Ihesum.

At pia Messiae genitrix, aliaq; sub ortu
Solis aromatico veniunt cum munere matres,
Sollicito secum trutinantes pectore, magnam
Qua ratione queant tumba deolvere caute:
Dum vero exultans tanto cum murmure tellus
Contremat, & fragilis caelo descendere sexus
Legatum cernit facie splendente coruscum.
Altus ibi subito quassat praecordia terror.

Nuncius at tonitas cito sic solatur amicè
Matres: vestra pavor nullus modo corda pererret,
Nec cum defunctis sanctum jam querite corpus,
Quod crucis in ligno suspendit pessima turba:
Surrexit Dominus, mihi credite, lumina vitae
Prostrat aq; suum corpus jam morte recepit.
Ipsius haec celeres propero memorate recursu
Discipulis, nitidas quod jam redi vivus ad auras
Venerit, & latus cupiat Galilaea per arva.
Discipulos fratresq; suos praecedere Christus.

Sic ait: ut matres caelestis grata ministri
Nuncia percussis animis hausere: repente
Spemq; metumq; inter dubia liquere sepulcrum.
Querentes celeri campos transmittere passu,
Alitis ut sancti moestis optata referrent.
Nuncia discipulis, ac tristes illico mentes
Leticiae facerent socias, plaususq; recentis.
Non secus ac quondam, sevi cum tempore lapsa
Diluvij vastus spaciola silentia pontus
Consuetis caperet barathris, genitorq; Noahus.
Idaliam picea volucrem dimitteret arcâ,
Illa videns rapidas tumefacti gurgitis undas
Iam madido cessisse solo, frondentis oliva

Ore

Ore tulit ramum, ac secuit celer aëra pennis,
Ominis ut fausti captaret signa Noabus.

Sic Domini genitrix reliquæq; ex ordine matres
Accelerant sanctæ nova gaudia promere turba.

Vixiter ingressæ fuerant: en victor Ihesus
Obviat, ac dulci multam vovet ore salutem.

Tunc illæ fixere pedem, fixere tenellos

In Christo vultus, fixisq; obtutibus, intus

Gaudia confusa senserunt reddita menti,

Ac prior ante pedes quævis provolvier, illos

Mollibus amplecti manibus, Ihesuq; sacratum

Supplicibus votis ardent accedere numen.

Illis subridens superi patris ardua proles

Vultu, quo superum placat mortalibus iram,

Sic ait: Horrifico jam non date corda pavori,

Parcite jam metui, propero quin tendite gressus

Nec fratres celate meos, quod mortis amara

Faucibus ereptus reme arim ad luminis oras

Vitalis: dictate viris, Galilæa per arva

Mox ut iter pedibus tendant, dabiturq; tueri

Memet, & officij sacri mandata referre.

Dixerat, & tenui corpus subduxit in aurâ.

Iussa pia faciunt, ponuntq; trementia matres

Corda, volente Dco, gressumq; ad mœnia tendunt,

Interea vario secum sermone loquuntur:

Pars victum Christo letum surgente stupefcit:

Pars incerta timet, ne fors sub imagine falsâ

Delusa, aut vanos agitarint somnia sensus:

Fœmineo pars læta choro gratatur, orantem

Ipsis quod primis concessum cernere Ihesum.

Nempè, velut primâ mulier sub origine mundi

Primus erat miseris fons atq; scatebra malorum.

B 3

Terri-

Terrigenis, fœdæ dum maxima pondera culpa,
Infausti morsu pomi, morsuq; mariti
Allecto, suboli imposuit: quam sarcina tanta
Oppressam Stygijs malè submersisset in undis:
Ni superùm genitor summo commotus amore,
Humana gentis casum & miseratus acerbum,
Unigenam prolem cretam de virginis alvo
Misisset, dira quæ noxæ pondera tergo
Susciperet, lethoq; cadens in stirpe piaret.
Sic quoq; prima sonant muliebris júbila cœtus.
Júbila, quæ, Christo mortis victore trophæa,
Extollente, hilari meritò nunc voce canuntur.

Ergò tibi lato cantemus, victor Ihesu
Pectore, præclari statuamus signa triumphi,
Quem sudore gravi nactusq; es sanguine multo.

Tartarei Princeps regni, Divùmq; hominumq;
Trux, omnisq; boni longè infensissimus hostis
Causa caputq; fuit, primos cur diva parentes
Munera desererent, pravo cur calce subirent
Mortiferae dudùm scelerata piacula culpa:
Dissimulans specie fucum sub imagine veri
Offudit nebulas animis fidentibus angui
Præmium. Ingenti mala tum velut agmine facte
Ingruere in miseros homines, ductorq; Tyrannus
Inferne gentis milleno præditus astu
Prædam agere horrifico Nemeæi more leonis.
Hinc è vestibulo primisq; è faucibus Orci
Luctus, & ultrices sedere in pectore cura:
Corpora pallentes morbi, tristisq; Senectæ
Occupat, & malesuada Fames, & turpis Egestas,
Et Labor, & Lethum, Lethoq; simillima Somni
Pigra quies, Bellumq; atris res plena periclis.

Quin-

Quin etiam Evmenidum furor, & Discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis
Irruit in medios homines, & consona scindit.
Corda, ut dissidijs proprijs gens nostra periret.
His stimulis agitare homines, his undiq; telis
Impetere infestus multâ vi censuit hostis:
Nubibus his statuit nobis Cælumq; diemq;
Eripere ex oculis, quâs nox post incubet atra
Perpetuanda Stygis, rutila quos flammaq; tædæ
Ignis & amburat nullo debilis ævo:
Hic exaudiri gemitus, diroq; gementum
Gauderet Stygium barathrum clamore repleri.

Hæc cunctos (miserum) mortales fata manerent
Horrida: nâ tu, Christe, Deus velamine carnis
Cinctus in adversum vibrâsse protinus hostem
Roboris arma tui, virtutis tela suprema.
Scilicet, ut validis quando vir strenuus armis
Divite propugnat fundata palatia cultu,
In tuto possessa manent: si fortior heros
Adveniat, superetq; virum, cuncta exuet arma
Devicto, spolijsq; suos ditabit opimis.
Haud aliter se vum Cacodæmona, Christe Redemptor,
Viribus insignem telisq; dolisq; paratum
Tu, velut invictus divini roboris heros,
Fregisti, victiq; hebetâsti tela, fideli
Ne noceant turba, spolijsq; minacibus armis,
Parvaq; divisam tibi gens capit addita prædam
Non illum valuere doli, non machina falsis
Prestigijs instructa suis, non firma rapina
Acropolis, sedes triplici circumdata muro,
Quam rapidus flammis ambit torrentibus amnis,
Tartareus Phlegeton: non ferrea turris & ingens

Porta

Porta tueri illum, solidove adamante columna.
Quæ vis nulla virum, non ipsa exscindere ferro
Cœlicolum poterant acies: ea, maxime Ihesu,
Nil quicquam propè adorta tuis potuerere reniti
Viribus, ac plumbi fluxerunt instar ab igne.
Te victore jacet prostratum gentis Averni
Examem, tetra lemorum sine corpore vita.
Te victore jacent horrentia Tartara Ditis
Æqua solo: justis clausa est æterna vorago
Tartarei barathri, piceus quæ sulphure fædo
Fumus olet, fontesq; capit, pœnasq; perennat.
Te victore cadunt contagia sordida morbi
Innati, primâ contracta ab origine labe,
Acta q; coccineo quæ sunt delicta rubore,
Ante Deum niveo per te candore refulgent:
Si modò peccati seriem scelerumq; suorum,
Noscat homo, ac motu doleat meliore, nihilq;
Auxilium mortale morans horrescere pœnas
Occipit, & laniat mordaci corda pavore:
Mox tamen erectus, & spe solante timorem
Implorans veniam, Sancto confidit in Agno,
Qui, tu Christe, tuo delesti sanguine culpas.
Ac, licet hâc vitâ noxæ remove reatum,
Cœlituum ac puram non detur vivere vitam:
Te propter lethumq; crucis tamen, Optime Ihesu,
Innocuum, obq; tui non interitura triumphi
Gaudia, nos justos reputat Deus ipse nocentes.
Te victore cadit truculenta ferrea Mortis
Sevities, dirâ quæ non modò corpora falce
Demetit, humanas sed enim quoque perdere mentes
Tentabat flammis Stygijs lethoq; perenni.
At, pie Christe, tuo mortis victore sepulcro

Dum

*Dum revenis, suavem in requiem, gratumq; laboris
Mutasti finem jus formidabile lethi.*

*Te victore jacet superi fremebunda parentis
Ira accensa vago scelerosi fomite lapsus:*

*Quam facilis proprio gestans in corpore, fuso
Sanguine placasti, retulistiq; aurea pacis
Munera, quis toto nihil est praestantius orbe.*

*Tu quia nectenui maculasti crimine nomen,
Mortuus atq; ultrò pro nobis fontibus insons,*

*Eristi revenis tumulo: nunc contegis albâ
Iustitia nos veste tua: nunc spontè salutis*

*Officium indulges, ac fers in libera jura,
Quis invicta fides sacrat o corda cruori*

*Involvit: cives quin & bis terq; beatos
Æthereo dudum nosmet transscribis Oljppo,*

*Nempè, ut vitai cum claustra relinquere fessa
Perversoq; simul dabitur vale-dicere mundo,*

Hæc necis hora novæ nobis sit janua vitæ,

*Quâ sine fine quies, quâ splendor & alta perennant
Gaudia, quâ summi facies spectatur Ihovæ:*

*Christe, tuæ nostras quâ dextræ jungere dextras
Fas crit, alternisq; sonis dare mutua verba:*

Fas crit æternum cœlesti sede manere.

*His homo pro meritis condignas solvere grates
Cum nequeat, mens ipsa canet cum carmine laudes,
Perpetuisq; hymnis resonantibus ora resolvet.*

Gloria, summe DEVS, tibi sit, Pater alme perennis:

Flagrantes ad eò nostri quod concipis ignes,

Tâm vilem massam deamans & crimine fædo

Spurcatam, ac gnatum propè mox à limine mortis

Eripis unigenam, quâ nos à morte redemit,

Ne sanctam Christi videat corruptio carnem,

Spiritus aut maneat diris sub faucibus Orci.

C

Glo-

*Gloria, Nate Deo, tibi, Ihesu Christe, perennis,
Qui, nostræ postq; in contagia turpia noxæ
Sanasti letho, quo non infamius ullum,
Inde diem propriâ reparas virtute, tuæq;
Iustitiæ nos fonte rigas reddisq; beatos.*

*Gloria, ô amborum, tibi sit, sacra Flamma, perennis,
Nuncia quod nobis hodie tam læta triumphæ
Messiaci memoras divini dogmate verbi.
Hæc salva ut nobis maneat doctrina, tuæq;
Erigat auspicio multos, & solvat ab Orci
Insidijs omnes toto de corde precamur:
Nos etiam ut quondam fratres victoris Ihesu
Æternâ tantis latemur sede trophæis.*

F I N I S.





Fc 1249.
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden


nach Ausleihe


an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



an 8

RON
 OSA DO-
 VATORIS
 CHRISTI
 e:
 neroforum
 norum & Clarissi-
 pilisque & Eruditæ
 ronâ : in inclytâ
 emiâ II. Fe-
 reci-
 io Bechtio
 nsi,
 CVII.
 um
 ohan. Gorman.

